



# N. Poisson Elucidationes physicae in Cartesii musicam

<https://hdl.handle.net/1874/10226>

N. POISSON  
ELUCIDATIONES  
PHYSICAE  
IN  
CARTESII MUSICAM.

## ELUCIDATIONES PHYSICÆ

IN

## CARTESII MUSICAM.


 Tinam mihi, ac olim Terpandro Lesbio contigit, res æquè fœliciter cederet; is quippe ut a Lacedæmoniis accersitus subortam inter cives seditionem Musicâ suâ compescuit, sic ego non nullorum æstuantes in Cartesium animos, dātā iterum ejus Musices editione, delinirem. Effet me Hercule unde amicis gratularer, qui me primas editiones, erratis quibus tractebant propè infinitis, ut emendarem adegerunt. Effet & unde mihi gratularentur cordatores Philo-  
 phi, si tam alienas mentes mutâ hac lyrâ ut tandem resiperent adduxerim. Verùm e contra vereor, ne nova hæc Musices ratio quorundam hominum tanti viri memoriae invidorum bilem moveat, qui ore male-  
 dico ita sœviant, ut actum de stabilitis Musices principiis pronun-  
 tient, si his quæ scripsit fides vel levis habeatur, quòd pleraque for-  
 san explicet, quæ antea dixerim inaudita. Sic olim factum ab iis,  
 qui, cùm in scholasticæ, non dicam Aristotelicæ, cui & sua laus debe-  
 tur, *Philosophia Maandris* pessimè consenserint, nil approbatione plau-  
 suque dignum existiment, nisi quod aut jam ipsi scirent, aut saltem a vulgi etiam errantis opinione nec paululum deviaret. Hi etenim canino dente in Cartesium allatrârunt, ubique deblaterantes, nil recti ab eo nasci potuisse, qui aut Mathematicis illusionibus, erro-  
 neisque, ita loquuntur, experimentis fretus nova physices principia architectatus sit, quasi nimirum quis graviorum scientiarum *olnē G-  
 aingoatris*, *aptus auditor*, habendus videatur, qui demonstrativam rationem, quæ tota est in Mathematicis disciplinis, experimentisque, sibi ducem elegerit. Hujus ergo farinæ homines in Cartesii doctri-  
 nam & in ejus affecias insurgere non me movet, talesque non ambit Cartesiana schola discipulos, quos ut spurious ex omni Philosophorum coetu eliminandos nemo sapiens diffitebitur, qui rabularum scurra-  
 rumque nomina sub *Philosophia* superciliosum duntaxat adipiscuntur.

A

His

## Z ELUCIDATIONES PHYSICÆ

His sanè Musicam hanc profuturam spero, ut ægrotis, quibus importuna folet esse narratio, vel furiosis, qui ad cantilenæ modulationem ferventius excandescunt. Cedant itaque Cartesio triobolares isti pseudo-Philosophi, & à musis prorsus ἀνθεωτοι, qui nec Sophiae (ut ajunt) nec gratiis unquam litarunt, & a quibus sinceros Peripateticos me excipere velim intelligent. Cartesius erit qui semper fuit, multorum injuriis frustra lacefisis, nunquam inquinatus: cui statuæ, vel pro hoc uno in re Musicâ ingerii monumento, in doctiorum animis, ut olim Eunomio Locrensi, stabunt inconcusæ; nam tempus posterum turpes has voces perpetuo ita castigabit silentio, ut his appetita hoc usque Cartesii memoria illæsa perennaverit.

*Quamlibet oblatret rabidi fera lingua molossi,  
Cartesio meritos nunquam subducet honores;  
Inconclusa viri stabunt monumenta per avum.*

Brevem porrò hanc Musices synopsin concinnavit Cartesius, annos natus duos & viginti: Bredæ Brabantinorum tunc morabatur, castra sequens, ut ipse ad calcem scripti originalis, quod mihi præ manibus est, contestatur; brevitati nimium videtur consuluisse, sed quam hominibus amicam noverat; &, longè majora cum moliretur, noluit videri μέγας ηλικητής ἐν μυρεῷ γε πράγματι, ingens versator in relevi. Quod tamen mireris, constat nil omisisse, quod aut ad Musices perfectiorem intelligentiam, aut illustrationem desideraretur; ut epitomen illam veterum opellis similem propè dixerim, quæ suâ exilitate omnium admirationem sibi conciliarent, sicuti formica Callicratis eburnea, Myrmecidisque navis, quam acroteriis, epidromo, malis sifarisque, & aliis id genus armamentis munitam musica pennis tegebar. Laudavit Cartesius ingentia rura, exiguum coluit tamen, quod nulli pretio cedit, si non superat. Desideraretur forsitan, ut minus alta sapuisset, remque ex se satis arduam humilius pertractasset; verum opus suum amici rogatu, cuius in hac arte vires noverat, cum scripserit, quid mirum si omnium captui sese non accommodaverit, unique tanum, non multis, in eo placere studuerit, quod nunquam in lucem edendum miserat. Adde quod supposuerit ab aliis Musicographis comparatum satis esse, ut sine aliâ Isagoge quisque Musicus hoc opus adoriretur. Hinc pauca tantum de hac prælibamus, ut rudiorum, qui saltem Musices limina salutarunt, me-

moria refricetur. Musicam Augustinus definivit scientiam, sensumve bene modulandi, aitque epist. 28., ad admonitionem magnarei, etiam mortalibus rationales animas habentibus Dei largitate concessam esse, &c. Nec mirum, si Platoni addictus harmoniae originem a Deo, qui cuncta numero, pondere, & mensurâ disponit, nitatur educere, scribente potissimum ad Romanianum Paulino, *Deum esse harmonia omniforis artificem*; quod satis superque Musicam commendat, non acersitis aliunde, Boëthii, Gregorii, Alcuini, Bedæ, & aliorum, qui eam artem scientiamve coluerunt, auctoritatibus.

Tota porro consistit in proportionalitatibus, quæ ad tres species revocari solent: vel enim est Geometrica, nempe ut 2 ad 4, ita 5 ad 10, sic etiam 2, 4, 8, 16, &c. vel Arithmetica, ut 1, 2, 3, 4, 5, &c. sic etiam 2, 4, 6, 8, 10, &c. vel denique harmonica, de quâ potissimum sermonem habeo, ut 6, 4, 3.

Ad hujus ultimæ proportionalitatis intelligentiam notatum velim, eam reperiri inter tres terminos ita dispositos, ut quæ proportio maximi ad minimum, talis sit differentia maximi a medio, ad differentiam medii a minimo, quod in præfato exemplo libet demonstrare; prædictorum enim terminorum, 6, 4, 3, maximus est 6, minimus 3, medius 4, differentia autem maximi 6, a medio 4, est 2, differentia medii a minimo est 1, sicque fit, ut se habet 6 ad 3, seu maximus ad minimum, ita 2 ad 1, seu differentia maxima a medio ad differentiam medii a minimo. Ideoque 6, 4, 3, habebuntur numeri harmonici. Numeri quoque 15, 12, 10, harmonici dicuntur. Nam ut 15 ad 10, seu ut maximus ad minimum, ita 3, differentia maximi a medio, ad 2, differentiam medii a minimo.

Tres, obiter dicam, ut habeas numeros harmonicos, Arithmetice primò ordinentur, id est Arithmeticâ proportione sese superent, deinde alter in alterum ducatur hoc pacto; sint numeri Arithmeticâ proportione sese excedentes 2, 4, 6, duc 2 in 4, dabuntur 8. Deinde ducatur 2 in 6, dabuntur 12, ducas denique 4 in 6, dabuntur 24, sicque 8, 12, 24. quæsiti erunt harmonici numeri. Nam ut 24 ad 8, maximus ad minimum, ita 12, differentia maximi a medio, ad 4, differentiam medii a minimo. Plura hic possem recensere, de quibus potes Clavium consulere in Eucl. 5., Gassendum in Manud., Kircherum, & doctissimum, unde hi hauferé, Marinum Mersennum. Cùm vero sèpe reperias apud anti-

A				
L	4 ad 1	Quadrupla.	Disdiapason.	Decima quinta.
N	3 ad 1	Tripla.	Diapason, diapente.	Duodecima.
E	sicut	2 ad 1	Dupla.	Octava.
K		5 ad 3	* * * * *	Hexach. maj.
F		3 ad 2	Sesquialtera.	Diapente.
G		4 ad 3	Sesquitertia.	Diateffaron.
H		5 ad 4	Sesquiquarta.	Ditonus.
L		6 ad 5	Sesquiquinta.	Semiditonius.
M		9 ad 3	Sesquioctava.	Tonus major.
O		16 ad 15	Sesquideci-ma-quinta.	Semitonium majus.
B				Gr. sec. min.

## IN CARTESSII MUSICAM.

5

quos, harmoniam in his numeris contineri 12, 9, 8, 6, ita dictum existimes, ut velint tres allatas jam a nobis proportionum species in his haberi, Geometricam scilicet, nam ut 12 ad 9, ita 8 ad 6; Arithmeticam, nam ut 12 ad 9, ita 9 ad 6; Harmonicam denique inter 12, 8, 6, nam ut 12 ad 6, ita 4 ad 2. His nempe numeris tres consonantias Diapason, Diapente, & Diatessaron, quae apud ipsos erant in usu, una cum majori tono exprimebant. Diapason enim est in proportione dupla, quae exprimitur 12 ad 6, diapente est in proportione sesqui-alterâ, ut 12 ad 8, vel 9 ad 6; diatessaron est in proportione sesquitertiâ, ut 12 ad 9, vel 8 ad 6, tonus vero major in proportione sesqui-octavâ, quae 9 ad 8 intelligitur: quae quidem omnia satis ex apposito schemate manifestantur.

Ibi enim videre est totam chordam AB divisam esse servatâ sonorum proportionem; quippe observatum est, ex chordæ motu sonum optimè cognosci posse, hancque vulgo apud Musicos adhibitam, quod, quod frequentiores ejus itus reditusque seu vibrationes & ~~Δράσεως~~ pulsant, eò etiam acutiorem a chordâ sonum edi audiatur; ita in chordâ totâ AB, quae 1000 vibrationes faciebat, claviculo in E admoto totidem vibrationes intra medium temporis partem audiantur: hinc duplam proportionem annotârunt in chordâ, quae tempus etiam representat. Nam, quoad motum qui sonum efficit, totidem vibrationes in octavâ graviori observantur, quam in acutiori. Itaque monochordi divisio temporis propriè divisio est, & proportio totius AB ad AE fut in causâ, cur dixerint octavam emergere, cum chorda bipartitur, camque in prop. 2 ad 1 confitere.

Observatum est quoque, si claviculus admoveretur in F, consonantiam fieri, quae diapente sive quinta dicitur, quae nimurum prodit a proportione sesqui-alterâ: totius enim AB ad AF est ut 3 ad 2.

Tertiò si claviculus in G collocetur, consonantiam generari quam vocant diatessaron, sive quartam, quae prodit a proportione sesqui-tertiâ: totius enim AB ad AG est ut 4 ad 3.

Quarto denique, si claviculus in H figatur, consonantiam habeti, quae ditonus sive tertia major appellatur, quæque prodit a proportione sesqui-quartâ: totius enim AB ad AH est ut 5 ad 4; cætera docet ipsius figuræ inspectio.


Multa prætero, quæ cum suprà in Cartesianâ synopsi referantur, inutilis foret hic eorum mentio, ut quæstiones nonnullas, quibus, prolixioribus epistolis ad amicos missis, jam respondi, obiter attingam. Primum ergo quærebatur, quo pacto sonus auribus ex-

cipiatur per tremulum aërem; difficultas namque hinc nascitur, quod vulgo in confessio sit apud omnes, octavam, v.g., fieri, quod duorum corporum partes aliæ duplo velocius aliis moveantur, ut suprà in chordis ostendimus. At sint duo corpora durissima, puta campanæ, vel duo marmoris fragmenta *σμιλίοις*, seu scalpis, percussa, vel Pythagoræ fortem, casumque admittamus, qui in fabri officinâ tres artifices audivit, qui consonantiam inscii edebant. Num fieri poterat incudis partes ita concuti, ut tremulum hunc sonum facerent, & si ita concutiuntur, cur non diffiliunt? Quod hæc partes ita concutiantur satis constat, cum nemo ad corpora hæc vix audeat manum admoveere, quin citò harum fremitum & tremorem sentiat: scalpis enim marmora tundentibus, aut fragmenta duplo, v.g., mole sunt majora, aut scalpra duplo graviora sunt, aut duplo alterum altero levius est duriusque fragmentum, quo pacto fiet ut, si ab utroque sonus edatur, proportio in hoc servetur, quæ aut in marmore aut in scalpro reperitur. Idem dictum velim de campanâ cujus unum orificium constat magis vel minus a malleo ita concuti, ut partes impunè tremant, qui tremor aëri ambienti communicatur, ut ad aures deferatur, fitque ut, si campana altera duplo gravior sit, aut metalli duplo circiter purioris, octava generetur. Hinc emergunt infinitæ quæstiones, quas omitto, ut interim moneam, ex hoc partium succussum non imminere propterea campanis rimæ, aut scisluræ periculum, ni mallei ferientis violentia campanæ resistentiam vincat: tum enim, sicut munimenta, quæ explosis bombardis tremere tantum solent & concuti, hiulcant & ruunt aliquando, cum bombardæ insuetâ vi lapides quatiantur, sic nonnunquam contigit, campanarum duriorumque corporum partes ita commoveri, ut diffiliant, cum a malleo robustius percutiuntur.

Verum operaæ pretium erit experimento familiari exhibere, quo pacto sonus diffundatur per corporum collisionem, partiumque tremorem, sine divisionis periculo. Fundo vasis etiam amplissimi vacuus scyphus vitreus lœvæ manus ope adhæreat, & aqua in vas diffundatur, donec ad scyphi orificium pervenerit, tum dextræ pollice vas is orificium leviter, & quasi obeundo fricitur, audietur sonus haud ingratus; immo & consonantia, si non eodem tenore, sed modò lentiùs, modò velocius pollex moveatur: hic observa quæsto, scyphum esse instar campanæ, pollicem circumductum instar mallei, aquam denique ambientem aëris vice fungi, simul observabis aquam crispari,


crispari, & tenuissimas undulationes emergere, quæ ad vasis etiam amplissimi latera deferuntur motu quidem adeò veloci, & ita servato partium motarum ordine, ut ex mediocri vasis agitatione proportionatio & *omnemēta* minimè perturbetur: ad quam distantiam putas diffusam iri hanc partium undulationem, si aquæ loco aër adhiberetur? Sed nequaquam prætermittam rem notatu dignissimam, & quæ mirum in modum Musicum illud Axioma, proportionem octavæ esse ut 2 ad 1, confirmat, si enim mulcet velocius pollex circumcurrat, contingit ut scyphi vitrei partes duplè robustius concutiantur, hicque partium succusius duplè robustior erit in causâ, cur undulationes & crispationes aquæ bifariam dividantur, sive sonus, quem succusius ille edit, octavam efficiat, quod quantæ sit observationis in re Musica docti satis intelligunt.

Secundò quærebatur, cur manus magis laboret pulsando chordam chelys in extremis, quam in medio? Cui respondi, quod magis tendantur chordæ in extremis; hinc, ut tradunt Mechanici, funes saepius ideo disrumpuntur in partibus extremis quam in medio: & ut magis res constet, observa dum fides pulsatur in medio ubi minus est rigida, prolongari eam posse longiusque pretendi: sit, verbi gratiâ, chelys chorda AB, hujus extrellum E protendatur ad C; deinde per medium F protendatur ad D; vides ADB, simplicem tamen chordam, longiorem esse chordâ ACB, eoque potuisse pervenire, quod in medio minus tendatur, seu quod chorda in medio mi-



nus patiatur quam in extremis. Unde id oriatur, alibi demonstrabimus. Hæc ergo præmitto tantum, ut, quænam sit ratio, cur sonus in medio magis canorus audiatur quam in extremis proferam: hæc est scilicet, quod, posito in E digito, pars AE, magis tensa habeatur quam pars EB; at ut ostendimus, quod magis tensa est fides, eò frequentiores vibrationes edit, proindeque fiet, ut chordæ pars AE paullò citius itus reditusque suos absolvat quam EB, siveque mutuò sibi fint impedimento, & sonum non acutum, nec planè gravem, sed acuto-gravem componat: cum e contra tota fides pulsatur in F, partes in AF FB & tota AB in suo motu magis eò convenienter, quod magis ad centrum chordæ tactus accedit. Non uberiori, opinor, hæc difficultas luce indiget.

Tertiò quærebatur, unde consonantiae aliæ aliis jucundiores sint auribusque blandiantur, aliæ e contrâ ingratæ & quasi acerbæ? Si quosdam Peripateticos audias hac de re differentes, sympathiæ antipathiæque voces tibi funto familiares, difficultati enim non modò satis, sed & ultrà factum existimant, cùm *Σωλύτως* garriunt, id oriri ex sympathiâ vel antipathiâ. Et si aliâ viâ litem dirimi posse, verbisque faltem non ignotis & peregrinis utendum quis contendat, rem ex hoc solum negant: *Quod est summa delitti sui*, ut inquit Cypr., *cum nolunt cognoscere, quod solâ verborum vi ignorare non possunt*. Ita ergo difficultas, quam libertatis Philosophicæ assertor & vindicta Galilæus explicat, exponenda mihi videtur. Omnis quippe sonus fit per tremulum aërem aures iteratis velocissimè ictibus ferientem. Unde, cùm duo ictus ita convenient, ut tympanum auris simul eodemque tempore attingant, fit consonantia. Si tamen unisonum excipias, qui, cùm aures feriat eodem tempore, licet a diversis prodeat corporibus, puta chordis æquè tensis & crassis, inter consonantias tamen non habet locum; harum chordarum vibrationes sunt æquales tempore, cùm ad consonantiam requiratur, ut velocius alterutra moveatur, unde præclarè Aristoteles lib. 2. Polit. c. 3., ut ostendat non debere *αγαθὰ ἔιναι νομίμα, bona esse communia*, ait, esset enim hæc civitas, velut si quis concentrum faciat unisonum, aut versum pedem unum, quod repugnare nemo diffitebitur; chordæ ergo ut consonent, certo debent tempore convenire cùm ferintur; quapropter octava gratissima est, motus enim chordarum in octavâ eodem tempore tympanum attingunt. Fiat enim chorda AB, aliaque sumatur ejus media DE, constat audi-ri octavam, sed ratio-nem observa, dum di-gitus simul pulsat AB in C, & DE in F, vi-




des motum ad extrema DE jam pervenisse & itum confecisse, cùm adhuc spatium GH chordæ prioris occupat, sicque dum motus extrema AB attigerit, DE redditum suum absolvet; patet ergo chordam DE ivisse & redire, dum AB semivibrationem seu itum duntaxat peragit. Ex quo rectè infertur DE duplò citius ipsâ AB moveri. Verum observa, dum DE itum suum & redditum conficit, convenire semper cum itu aut reditu ipsius AB, quæ convenientia chordarum totam consonantiam efficit.

Fiat

## IN CARTESII MUSICAM.

9


Fiat etiam quinta ex chordis A B & C D , vides C D pulsare cùm A E ipsi æqualis movetur , C D iterum pulsare , dum motus partes E B & A F ipsi C D æquales percurrit , C D denique tertio pulsare cùm motus F B occupavit , tuncque perfecta absolvitur consonantia : nam cùm primâ vice A B pulsavit , non conveniebat cum C D , quæ jam



antè semel pulsaverat ; at cùm A B pro secundâ vice , C D verò pro tertiat pulsant , ambæ simul sic desinentes , consonantia quæ sita e-

mergit , quam rectè statuunt esse ut 3 ad 2 : idem esto de aliis consonantiis .

At verò dissonantes chordæ nunquam possunt convenire , earumque vibrationes tympanum pulsando minimè consentiunt , ita sunt secunda & septima . Sit enim secunda major in proportione sesqui-octavâ ,  $\frac{9}{8}$  , dico consonantiam inde non posse generari ; quod ut patet , sit chorda A B , quæ in novem partes dividatur , C D verò in octo , prioribus æquales , contingit ut ambæ nunquam pulsentur ,

 quin aliquis motus C D remaneat in A B , residuus autem ille motus impedit , quò minus chorda C D cum A B conveniat , ut consonantiam creet ; nam iteratis licet octies vibrationibus B cum D conveniat , non coincidet A cum C , ut sigillatim indaganti perspicuum fiet ; nos ad alia properamus .

Quartò , quærebatur cur auditus distinctim non audiat has vibrationes singulas ? At res explicatu non erit difficilis , si ad auris tympanum definere confinem nervum *ἀκτικὸν* , *auditorium* , supponas , qui nervus cùm pluribus constet capillamentis , hæc similia propè dixerim segeti ventis uniformiter agitatæ . Ut enim frequentissimis eorum ictibus concussa , jacens , &c , ut ita dicam , prona , non satis habet otii quo sese erigat , & hi ictus iterati pro unicâ ventorum actione falsò sumuntur ; sic illa quæ ad aures capillamenta definunt , aëre tremulo frequenter adeò percutiuntur , ut illa semper inflexa curvaque jaceant , quem situm eundem animadvertis anima , eundem nec iteratum sonum percipiet . Ex quo manifestum fit , quo pacto carbo circumrotatus circulum igneum exhibeat ; præcipiti

B enim

## 10 ELUCIDATIONES PHYSICÆ

enim adeò motu carbo agitatur, ut omnibus circuli punctis videatur respondere, nec retinæ capillamenta satis habent otii, ut ad pristinum situm recurrent, sed flexa semper manent, ut de segete a vento incurvatâ diximus.

Quintò, quærebatur num chorda quadruplo magis tensa quam altera audiatur acutior, vel ex hoc solùm quod vibrationes longè plures edat, vel quod aures per aërem magis strenuè fortiusque percutiat? Cùm hæc difficultas videatur alicujus momenti pro explicandis pluribus problematibus, non omitto evidentem solutionem: nimurum audiri sonum acutorem, & quia vibrationes duplo, v. g., frequentius pulsant, & quod aëris fortius aures feriat; fortius nempe ferit, quia frequentius vibrantur fides, & frequentius vibrantur, quia magis tenduntur. Ut enim constat graviorem sonum segnius aures attingere, aëremque vento quasi gradu moveri, e contra acutorem velociores habere diadromos, patet ex horum citato motu aërem quoque fortius elidi, proindeque tympanum fortius percuti. Propero igitur ad id quod

Sextò, quærebatur, num ratio quâ Musici volunt octavam esse in proportione duplâ, & ut 2 ad 1, satis sit valida ex hoc quod si chordam AB in C dividat, editura sit octavam: at tota AB est ad CB ut 2 ad 1; ergo, inquit, proportio octavæ est ut 2 ad 1, cùm ut chorda ad chordam sic sonus ad sonum. Rationem dubitandi sic proponit Galilæus, *tre sono le maniere con le quali noi possiamo inacutir il tuono à una chorda, l'una è lo scortarla, l'altra il tenderla più, il terzo è l'affottigliarla; se vorremo sentir l'ottava, bisogna scortarla metà, ciò è toccarla tutta, è poi mezzo. Ma se retinendo la medesima lunghezza è grossezza vorremo far la montar all'ottava, col tirarla, più bisogna quadruplo, &c.* Diapason, inquit, in duplâ proportione, dia- pente vero in sesqui-alterâ reperitur: quia bisaria divisâ chordâ ponticuli ope, ubi tota AB pulsabitur, & ejus media pars AC, octava au-

*A C B* dietur; quæ ratio, inquit, infirma videtur. Nam cùm sonus acuator, non modò cùm chorda sit brevior, sed & cùm magis tenditur, vel cùm sit exilior, sanè sequeretur octavam audiendam esse, si duplum ponderis appendatur, vel in longum media dividatur, cùm tamen quadruplo ponderis constet opus esse, vel quartâ in longum parte imminui debere; tam ergo dici potest octavæ rationem esse ut 4 ad 1, quam eam assignare ut 2 ad 1, sic propo-  
tio

tio quintæ non magis esse debet sesquialtera, quām dupla sesquiquarta  
seu ut 9 ad 4.

Reverā hæc Galilæi difficultas eò magis involvitur, quòd, quid-  
quid narret Kircherus, vix ullā ratione examinari queat, num vi-  
brationes atque diadromoi octavæ duplo velocius moveantur his,  
quorum respectu octava dicitur. Nec tamen insolubilis mihi videtur.  
Nam longè dispar ratio effectū ponticuli chordam dividentis, &  
ponderis eam tendentis, vel extenuationis ejusdem. Nec mirum,  
si, ut ajunt, numerus diadromorum sit in ratione subduplicatā pon-  
derum: effectus enim, quem edit ponticulus in chordæ medio con-  
stitutus, is est, ut duas utrimque octavas ibi generet, quæ simul  
additæ disdiapason crearent. Cùm ergo desiderari videatur, ut  
quadruplum ponderis eundem effectum producat, incassum id quæ-  
ritur, cùm situs diversus omnino sit. Ponatur chorda tota A B, per  
ponticulum in C positum octava generetur, licet chordæ medium

tantūm occupet; ergo duplum  
ponderis eundem effectum præ-  
stare debet, ut verum sit propor-  
tionem esse ut 2 ad 1; negatur se-  
qua.



Sed ut non iniqua quæstio fiat, appendatur pondus in C, tuncque intentum habebitur, & stabit, a Musicis rectè definitam proportionem octavæ esse ut 2 ad 1. Paucis ergo dicam, cùm as-  
signarunt Musici proportionem octavæ esse ut 2 ad 1, locuti sunt de proportione, quæ ex chordæ divisione emergeret, cùm alias non eos fugerit, sonum non esse semper & absolute ad tonum, ut chorda ad chordam; nam si in B quadruplum ponderis supponatur, ea-  
dem manebit chorda A B, augebitur tamen sonus, & octavam edet.

Septimò, quærebatur, cur, si chordam pulsaveris, eodem tem-  
pore tam quæ ad unisonum, quām quæ ad consonantiam, resona-  
bunt? Hæc penè viluit difficultas, adeò trita apud omnes reperi-  
tur, sed cùm ex iis plures ad sympathiam fugiant, ut sibi, quod  
ait Augustinus, videantur scire quod nesciunt, non incommodeum  
forsitan est paucis rem enarrare. Constat, & quidem αὐπεπησσ, his  
potissimum qui valent acutiori visu, chordas omnes, dum altera  
pulsatur, moveri, sed earum duntaxat sonum tantisper audiri, quæ  
magis ad consonantiam perfectam accedunt. Quod cur fiat, quæ-  
so lector attendat. Pulsari omnes chordas a primâ pulsatae chordæ  
vibratione diximus: Verum quæ non sunt ad consonantiam tensæ,

in suo itu redituque cum pulsatâ primùm chordâ minimè conve-  
niunt, nec vibrationis suæ periodum absolverunt, cùm ab eâ ite-  
rum percutiuntur, siveque contrario motu sibi obsunt mutuò; at e  
contra quæ sunt ad consonantiam tensæ, id est, quæ ita tendun-  
tur, ut, cùm pulsantur, vibrationes suas eo tempore absolvant,  
cùm aér a primâ chordâ elisus eas iterum percutit, motu priori adeò  
convenienti, ut iterum ab eo moveantur, redeunteque ter & ult-  
râ eâdem aëris percussione nunquam ei chordæ motus occurrat con-  
trarius, sed ipsi semper, aut saltem statuto pôst tempore, aduna-  
tur. Hinc neutiquam videoas chordam resonare eo ipso instanti,  
quo tangitur chorda cui consonat. Movebitur quidem, sed non  
resonabit; quia in primo nisu & impetu campana sonum non edit,  
sed movetur tantùm, iterato verò conatu tandem movetur, & sonum  
edit, sic, non nisi iteratis pulsatae primùm chordæ iectibus, consonans  
ejus auditur resonare: primis scilicet movetur tantùm, sed crescen-  
te motu satis habet virium, ut aërem quoque ipsa moveat qui fer-  
riat aures. Sic dissonantes chordae moventur quidem, sed mini-  
mè resonant, quòd suo improportionato motu irritos reddant quos  
a pulsatâ chordâ iectus accipiunt.

Verum quod monet Galilæus alicujus est observationis: non ea  
tantùm corpora quæ cum pulsatis homogenea sunt, sed & quæ omni-  
no sunt heterogenea, resonare, modo consonantias cum illis ha-  
beant. Quest' ondeggiamento, che si va distendendo per l'aria, muove  
è fa vibrare non solamente le chorde, ma qual si voglia altro corpo dis-  
posito a tremare, & vibrarsi sotto quello tempo della tremante chorda.  
Meminique me legisse apud Kircherum *μάνισος*, & Germanicæ  
eruditionis virum, cùm Moguntiæ moraretur, ipsum audiisse che-  
lyn, quæ erat in remotissimâ Ecclesiæ parte, sponte pulsantem, cùm  
tangebatur organum, cujus rei opinor attulisse rationem. Notetur in-  
terim crassiores chordas non moveri, audiri que facilè, cùm tenui-  
ores octavæ pulsantur. Sicut minor globus majorem concutere mo-  
vereque vix potest, quod tam dictum velim pro his quæ longitudi-  
ne, vel crassitudine, quām quæ pondere præstant, ut experimento  
constabit.

Octavò, quærebatur, cur, si surdus Musicum instrumentum,  
puta citharam, dentibus apprehendat, percipere valeat sonum,  
quem alias nunquam audiret? Frustra huc usque tentatum fuerat a  
multis, quo pacto surdorum impotentiam juvarent. Nonnulli sci-  
licet

licet signa, figurarumque characteres, verbis affingebant, ut sagaci ad audiendum per signa surdorum ingenio sic opitularentur. Alii certo quodam labiorum gutturisque motu surdos quosdam assuefecerant, ut ex ipsâ inspectione verba, quæ non auribus, oculis saltem audirent, sonusque ad ipsos non percussi aëris ope, sed luce deveheretur. Ita fertur Wallis Doct̄or Anglus colloquium bene longum habuisse cum familiari, quem hunc loquendi modum edocuerat; alii denique cornua quædam inflexa adhibebant, quorum extrellum ligulâ ferreâ dentibus cùm surdi prehenderent, satis distinctum loquentis susurrum audiebant, atque de hac ultimâ audiendi ratione nunc quæritur, quam breviter sic expono. Constat nempe surdi, dentibus citharam tenentis, aurem ita esse dispositam, ut pellis, & membrana tympanum tegens, quæ naturæ defectu nimium laxa est, tendatur magis, ac naturalem ad audiendum situm recuperet, ita ut tympanum tremulas aëris vibrationes sentiendi capax efficiatur, quæ pellis tensio si audiendi facultatem non sola restituat, defectum ultro juvabit nervulorum motus, qui per totum caput disseminantur; hi enim applicatis ad citharam dentibus ad ejus motum facile tremunt, motumque nervo ~~anxius~~ communicant, & ita surdus, quam facultatem natura negavit, hac arte poterit refarcire.

Nonò, quærebatur, cur, qui nōsset Musices theoriam, consoniarum vim, notarum valorem, imò & voce docili valerent, non possint aliquando cantare, vel etiam a se compositam cantilenam voce exprimere? Evidem longè alia supponi debet cantandi virtus, & componendi; quod & notavit Cœlius Rhodiginus, qui Musicos ideo distribuit in harmonicos, quorum dux Aristoxenus recensetur, & canonicos, qui nempe solâ ratione, non cantandi habitu valerent. Ut enim occurunt fæpe cantores, qui solo usu & ex praxi propositam cantilenæ partem expromtu concinunt, examinandum videtur, quâ ratione fiat, ut ex notarum in diverso situ positarum inspectione vocem suam mutent, & pro nutu accommodent: at non alia planè ratio videtur esse, præter eam quam quotidie experimur in his, quibus litteræ A B C D a lingua efformandæ sunt; certo enim modo litteram A palati ope, B labiis, C dentibus quasi sibilando, D verò lingua dentibusque efformant, accidente postea usu, tum faucium, laryngis, aliorumque organorum motu verba componunt, ita ut ex ipsâ inspectione literas A, vel B,

multis etiam non curantibus num palato labiisve efformentur, prouident; sic cantores nōrunt spiritum pro nutu ita temperare, ut muscularum ope modò altius, modò gravius vocem elevent, aut deprimant: at, ut habeant, unde moneantur, quando, & quantum debeant spiritum hoc aut alio modo ducere, adhibita sunt quædam signa, & notæ, quorum situs vocis elevationem, figura vero, aut color tempus, quo vox ista audienda sit, significat: ita si nota collocetur in linea altiori, vocem elevandam significat, si in infimâ, deprimendam, si quadrata sit, vel, ut ajunt, *alba*, aut *nigra*, *aduncata*, &c. ostendit, tamdiu temporis sub eodem tono spiritum retinendum. Aliis porro signis utuntur Græci, est enim apud illos quidam *χειρονομίας*, qui ex pulpito, digitorum inflexione, vel manuum elevatione, cantum dirigit, & hic cantandi modus *χειρονομία* dicitur, quæ vox, ut notat Tanaquillus Faber in Xenophontem, significat *ludum brachiorum & manuum*. Habent illi tamen Canonarchai Musicæ libros, non multū a nostris assimiles, & notis exaratos; hinc Cosmæ & Joannis Musici canones magni semper apud Græcos fuere nominis. Alias, quod non omittam, notas adhibebat rusticus quidam Provincialis: is enim, ut accepi a viro ob pietatem eximiamque doctrinam nunquam satis laudando, lapillos ita disponebat, ut ex eorum situ, an acuta, an gravis elidenda vox foret, apprimè ex usu novisset. Cùm ergo ex dictis notum sit, tot signa adhiberi, ut inde cantor vocem suam dirigat, quod ut præstet usus præsupponitur, non est cur mirum, quosdam, foli Musices Theoriæ addictos, non posse ad praxin reducere, & cantare a se compositas cantilenas.

Decimò quærebatur, num octava, aliaeque consonantiae; quæ per sonum auribus, per chordæ divisionem manibus, per saporum quorundam proportionem palato, per odorum temperamentum naribus, percipiuntur, oculis etiam peculiari modo possint exhiberi? Rem non arbitror Galilæo Torricellioque ducibus difficilem; *sospiciente*, inquit ille, *palle di piombe*, o altri simili gravi, da tre fili di lunghezza diversa, ma tali, che nel tempo che il più longo fa due vibrationi, il più corto nè faccia quattro, il mezzano tre, il che accaderà, quando il più lungo contenga sedici palmi, o altre misure, delle quali il mezzano nè contenga nove; & il minore quattro, è rimossi tutti insieme dal perpendicolo, è poi lasciategli andare, si vedrà il concerto, &c. Tria sint funependula fese excedentia, quo-

quorum majus sexdecim habeat partes, quarum novem in medio-cri fune pendulo reperiuntur, minùs vero quatuor habeat: si ex perpendiculo simul omnes dimoveantur, ac libertati suæ relinquantur, sponte decident, vibrationesque non omnino quidem Isochronas, sed ita tamen sibi invicem correspondentes edent, ut quartâ quamcumque longioris funependuli vibratione tres simul convenient: iteratis deinde confusè vibrationibus post quartam iterum in eodem termino adunentur, quod octavam cum quintâ exprimit. Hinc plures consonantias, servatâ, quam vides, proportione, poteris exhibere, nec solùm funependulis, sed & farissis, longisve perticis diversæ longitudinis, res eadem confici potest. Observatum est enim farissæ muro impactæ diadromos funependulorum vibrationibus esse similes: imò & si in medio, quasi ponticulo, sustineatur, motis ejus extremis duplo velocius moveri, & octavam edere. Obiter moneo tantùm, quod nonnulli jam oblervârunt, horologium haberi posse funependulare, si filo tres Parisinos pedes cum sextante longo, plumbum nec grave nimis nec etiam tenue appendatur: per horam enim movetur, & 3600 vibrationes efficit, quæ cùm versùs finem vix percipientur, hoc instrumento saltem uti poteris, ut unius horæ secundi valor investigetur.

Quòd si multa de his funependulis, aut chordarum tensarum diadromis volueris comparare, Mersennum adi, multa occurrent, quæ non nisi Mersenni diligentia potuerunt examinari: puta, putat ille fidelissimus indagator, chordam e terræ centro ad firmamentum extensam, 37 octavas continere, si corda prima unius fuisse Leucæ supponatur, aut etiam chordam tripedalem unius secundi spatio aërem pulsare 1728 vicibus, unde colligit, quòd hæc chorda ad firmamentum pertingens, non nisi percussionem unicam intra 16 annos & tres menses posset absolvere, eademque chorda, si in globum reduceretur, orbis terræ crassitudinem longè superaret.

Undecimò quærebatur, cur, dum vox humana, vel instrumenta potissimum metallica pulsantur, aliæ voces fere semper audiantur resonare, quæ his sunt acutiores? Id poterunt experiri, qui delicatis auribus valent, nimirum dum sonora vox canet, diapasondiap., seu duodecima, quandoque etiam disdiapason cum ditono, seu 17 major cum ipsâ simul auditur. Hoc porro nasci arbitror ex diversis, quibus constataér, partibus; nam cùm per aërem communem subtilior disseminetur, fit, ut, cùm crassior ille & communis.

nis aëris elisus in gutture vibrationem unam edit, subtilior iste res, vel alius adhuc subtilior quinque vibrationes absolvat, idemque in aëre contingit, quod & in chordis, quæ, prout subtiliores sunt, frequentiores etiam habent diadromos, consonantiasque generant; ita chordæ, quarum altera ter, quinques vero altera pulsat, dum alia semel itum redditumque perficit, consonantias creant, quæ duodecima & 17 major vocantur. Hæc enim est ut 5 ad 1, illæ ut 3 ad 1, ut videre est in diagrammatis; at aëris, cum partes alias alias superiores mobilioresque habeat, non erit absonum, quæcumque de chordis hoc usque diximus, huic adscribere.

Ultimò quærebatur, cur, inter sensus exteiiores auris sola percipiat differentiæ gradus, qui in objecto suo reperiuntur, seu cur auris judicet (liceat hoc uti nomine) quot gradibus vox in *La* a voce in *Ut* discrepet; oculus vero percipere nequeat, quot gradibus color puniceus a magis puniceo distinguatur. Celebrem hanc quæstionem *μέγαστος* Auzouſt proposuit in Doctorum Diario, vulgo le *Journal des Scavans*, atque misi hac de re Epistolam, cuius cum mihi exemplar non sit ad manum, utcumque tamen meminero, hanc equidem ego referam.

### MI DOMINE,

**Q**Uandoquidem in postremo Diario legi, percupere te, ut eruditii penderent ea, quæ proposueras circa objecta auditus, quorum differentiæ ipsi innotescunt per gradus quos in iis observat, & mibi de iis cogitandum esse duxi, non quod eā sim confidentiā, ut me dignum existimem, qui eorum, ad quos ea miseris, ordini adscribar, sed eo tantum animo, ut nonnullas otii mei horas cum emolumento impenderem, in mentem scilicet revocans illud Lyrici;

Sæpe etiam est olitor verba opportuna locutus.

*Et profectò satis mihi feliciter hic rem successisse existimo, non quod statim crediderim aurem, naturā suā judicare, quantum unus sonus ab altero differat: quippe, ut verum fatear, difficulter admodum id mihi persuadere potui, sepe mecum cogitans, quod si auris accurate judicaret de differentiâ Re ad La, hoc non nisi multâ exercitatione, & cre-*

crebro eos sub iisdem intervallis sonos audiendo fieri. Atque in hac dubitatione me præterea confirmavit quod e P. Kircherio didiceram, qui id a P. Mersenne acceperat, aliis ac nos intervallis uti Canadenses, quodque mihi videbatur oportere, ut paulò delicatioribus essent auribus prædicti, si exactè de nostris judicare vellemus. Hinc concludebam, illud judicium de differentiâ tonorum merum esse habitum; atque, si operam de- dissemus ad suæ faciendis oculis ad judicandum de colorum differentiâ, tan- dem & illos, quanto intensius hic præ illo colore ruberet color, distincturos esse.

Sed postquam difficultatem consideravi, aliter prorsus existimavi, mibique persuasi, reverâ instinctu quodam naturali, non vero habitu de differentiâ sonorum aurem judicare; & quamvis experientia nonnullos difficulter admodum eos distinguere doceat, non id mirum existimari debere, quoniam & reperiuntur, quibus manifestissima axiomata ut explicen- tur necesse est, que alioquin non, nisi longâ meditatione, intelligere valerent.

Ut itaque huic tuae propositioni satisfaciam, notanda est differenâ, que intercedit inter sonum & tonum. Sonus vel vox (quod tamen di- stinxit Aristoteles, quia scilicet nonnulla insecta, veluti cicadae, so- num suum alio, quam gutture, organo proferunt) est collatio vel per- cussio aëris e pulmonibus expressi, & ab Epiglottide, aliisque ad id dispositis organis articulati. Tonus est consensus & unio que constituitur unius soni cum altero: ita R<sup>e</sup> absolute consideratum sonus est, sed relatum ad Ut, vel ad octavam suam, quâcum consonantiam facit, tonus evadit.

Jam verò suppono Bassum, vel vocem gravem, & Cantum, s. Superiorē, simul illud R<sup>e</sup> in unisono cantare, accuratissimas delicatissimasque aures provoco, ut exactè dijudicent quot gradus gravis illa vox a te- nuiori differat: sed si Superior octavam Bassi sumat, vel La canet, cum Bassus canet Fa, tum sanè ista tertia major, tonus major & mi- nor, qui eam componunt, & gradus inter utrumque intercepti, audientur.

Hoc posito, dico auris nullam esse prærogativam præ aliis sensibus, atque oculum, palatum, cutim, nares sese habere ad sua objecta, uti ad suum auris. Etenim si oculus dijudicare nequit, quanto magis vel minus saturatus sit idem color, veluti cœruleus, altero colore cœruleo, nec palatum quanto magis vel minus dulce aliquid sit, nec cutis quanto magis aliquod corpus vel minus politum, nec nares, quanto fortior sit unus mochi odor ac alterius, ita auris nequit judicare, quot gradus vox, que unisonum cantat, altior vel minus alta sit altâ.

Verum e contrario, sicuti auris rectè admodum judicat de differentiâ r̃e Sol ad Ut, vel potius quot gradus Sol superet Ut, cum quo quin-

## ELUCIDATIONES PHYSICÆ

iam facit, & de duobus tonis majoribus, de minori, & de semitonio, quæ eam componunt; ita oculus observat differentiam, quæ reperitur inter rubrum & flavum, palatum eam, quæ est inter dulce & amarum, cunctis, vel nervi in eam desinentes judicant, quam asperum vel quam politum aliquod corpus sit, nares discrimen animadvertisunt inter odorem Moschi & Geljemi. Et ne aliquid hic desiderari sinamus, perpendamus, obsecro, quid in oculo diversitatem colorum producat, hanc dubie id nobis lucem fænerabitur. Cartesius cap. 8. Meteor. & cap. 1. Dioptr.; ubi agit de naturâ colorum, ostendit eorum varietatem tantummodo confitere in differentia motus exiguorum globulorum, qui rapidius vel lentiùs circa sua centra rotantur, quam secundum rectam linneam propelluntur: jam vero, hoc pro vero supposito, oculus sine dubio istam motus diversitatem observat. Et quamvis dijudicare neesciat, quot intersint gradus, hoc in eo non est peculiare, quia neque auris gradus observat differentiae, qua intercedit inter motum aëris, qui nobis audiendum exhibet Re, eumque, qui Mi.

Fateor aurem posse duo animadvertere, 1. An tonus vel semitonium accuratum sit, hoc est, ex. gr., an magis accedat ad Re, quam ad Ut, 2. Quanta differentia sit inter Ut & Sol, enumeratis scilicet graduum differentiis per tonos vel semitonias, qua inter illos comprehenduntur; atqui eadem facultas in oculo reperitur, nam probè dignoscit, an rubrum illud recte se habeat, hoc est, an non magis ad flavum, quam ad Kermesinum colorem vergat: præterea etiam videt, quam sit differentia inter Kermesinum (quem suppono esse rubrum ut octo) & flavum colorem, si nempe differentia gradus secundum intermedios colores numerentur; scilicet colorem igneum, rubrum super-roseum &c. Quod adeò verum judico, ut, quo mecum unusquisque sentiat, paullum modo ingenuitatis rogem.

Si tamen adhuc rogetur, quare auris facilius de diversitate differentium tonorum judicet, veluti de Re ad La, quam oculus de diversis coloribus, sicut quanto saturior sit color Kermesinus, quam super-roseus, hec questio facile solvi potest, quandoquidem constat subiectum, in quo exercetur actio, facilius animadvertere id quod pulsus & ictus sit, ac id quod per simplicem pressionem, sicuti quispiam faciliter corporis cuiusdam, quod cum per plures deinceps vices feriret, actionem discerneret, ac alterius corporis, quodei innitendo tantummodo cum premit: de primo enim judicat ex numero ictuum, cum de altero non nisi quam proxime judicare possit, & relata ad ideas nonnullorum corporum, qua sustulit. Sonus vero aëris percussu sit, cum colores ex modis, quibus Retina premitur, diversi

*diversi evadant; ac proinde auris melius diversos tonos, quam diversos colores oculus, observabit.*

Prolixior forsan plerisque hæc Epistola videbitur, nihil tamen habet quod difficultatem non attingat, aut non solvat: quod, an verum sit, lectoris judicio committitur. Nec enim mihi tantum arrogavero, ut ab omnibus Epistolarum hæc mearum fragmenta, cæco quasi impetu, velim excipientur, siveque *alios errare, ut (quod ait Augustinus) meus error lateat.* Imò censuræ cordiarum hos ~~ægdeopus~~ subjecere mihi semper in animo fuit, ut, in his si faverent, plura, quæ ad Matheſim Physicam pertinent, ubi primum načtus otium fuero, in lucem sim editurus: si secus res contigerit, æquiori mecum animo actum fuisse arbitrabor, cum ex me prodire quicquam existimem, quod aut vulgi placitis arrideat, aut doctioribus novum videatur. Plura non commemoro; monitum dumtaxat lectorem velim, in hac editione castigandâ nonnihil infudatum; Cartesianum enim exemplar M. S. informe adeo erat, ut non nisi oculatioribus series ulla videretur; in quo quantum meritus fuerit nulli non notus Clarissimus noster Clerſelerius in edendis Cartesii posthumis operibus, vix poterit fingere qui non expertus est. Juxta hoc M. S. traductionis opus direximus, in quo si quis error irrepererit, bona venia concedatur, ut pote qui nolim de ~~aria~~ gloriari, quam nec oculatores sibi poslunt vindicare. Hinc in defensionem meam liceat usurpare, quod ait Augustinus, Enchir. Cap. 6. *Non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderior, & absit error opinantium se scire quod forsan nesciunt.*

### QUEASTIO ADDITA.

Denique quærebatur, undenam mutârint recentiores antiquum plani cantûs usum: solebant quippe neglectâ in eo syllabarum quantitate notas æquales pronunciare, uti veteres cantûs Ecclesiastici libri testantur; sicut etiam nunc in Ecclesiis, Lugdunensi maximè & Senonensi, usus laudabilis perseverat.

Hactenus nemo, quem sciam, quætionem istam seriò exposuit. Crediderim equidem, id scribarum insciâ factum fuisse, qui cum syllabarum quantitatem ignorarent, vel scientes propriâ sponte omitterent, errorem quandam in cantum induxissent, qui temporum

lapsu in ulum penitus traduceretur. Ita primâ fronte conjecteram, nec deerat ratio conjecturæ; nōrunt enim quam sortem literæ passæ sint, vel apud eos, qui utpote publici professores earum tutelam debuerant suscepisse, ut oratione quādam ingemuit Muretus. Earumdem quis fuerit apud religiosos exitus, & potissimum apud eos qui soli Theologiæ favent, quotidiana satis exprobrat experientia. Inde natam quantitatis syllabicæ oblivionem existimabam, quam Ecclesiastico cantū usu confirmatam iidem defendissent.

Verū me nuper monuit in re Musicā, aliisque Matheseōn partibus, scientissimus Dominus Jacobus le Clerc, Congreg. S. Mauri Monachus insignis, non ita rem se habuisse, cūm demonstrari posset, errore factum, ut syllabarum quantitatē observare tentarent, quæ notis æqualibus in cantu plano Ecclesiastico pronunciari postulant.

Primo equidem constat, veteres ad numerorum advertisse divisionem, ut varias in Musicam cantuum species inducerent; quid porrò, si eandem, quam illi ingressi sunt, nos sequamur viam? nonne omnis divisio fit, aut in partes æquales, aut inæquales; ratio æqualitatis cantum planum Ecclesiasticum, ut ratio inæqualitatis Rhythmicam, constituit: hæc autem inæqualitas, si commensurabilis, poëticam, si incommensurabilis, psalmodicam efficit. Rationem æqualitatis cantores observarunt, dum æquales pronunciārunt notas, inæqualitatis vero Psalmista & poëtæ; illi nempe dum accentuum legibus, ii verò dum syllabarum quantitati studuerunt; aliis syllabas elevandas producentibus, deprimentas corripienibus, five longæ sint aliunde, five breves; aliis vicissim nullā accentuum ratione habitâ syllabarum tempora servantibus.

Verū ne videar gratis asseruisse, rationem inæqualitatis in Rhythmicæ partem venisse, vetustissimum rei Musicæ, Græcum Bacchium seniorem, Doctorem, sic respondentem interrogant proferam. *Ex quotnam temporibus Rhythmus est connexus?* Tribus (respondebit) brevi, longo, & irrationali. *Quodnam est breve, minimum?* Quidquid nullas divisiones recipit. *Quodnam est longum?* Huius duplum. *Quod nam irrationale?* Quod brevi quidem longius est, at longo minus. Quoniam verò quantum sit minus aut majus evidenti ratione tradi nequit, ex hoc ipso accidente irrationale est appellatum. Ita verit Doctissimus Marcus Meibomius. Quod si rationem inæqualitatis ad Rhythmicam pertinere Bacchius definivit, cuiam æqualitatis ratio, nisi cantui Ecclesiastico, quem ideo planum

vocant, quòd æquā planāque voce fiat, poterit convenire? Ex quo, meritò videntur mihi erroris insimulandi, qui hunc usum perversentes novum induxerunt, in quo, contra Musicæ leges, quantitatem syllabicam observare conantur.

Secundò, lubens ab iis, qui quantitatem syllabicam in cantum Ecclesiasticum invexerunt, postularem, quare primam syllabam vocis, *Domine*, non modo pronunciatione producunt, sed eam pluribus etiam notis onerant, cùm syllaba *Do*, tam sit brevis, quam syllaba *Mi*? Cur illud sibi licere præsumunt, hoc verò doctissimis Ecclesiastici cantūs Auctoribus negant?

Unum est, quòd Recentiores nostri cantūs, non dicam moderatores, sed potius corruptores, possint respondere, non ad syllabarum scilicet quantitatē, sed ad accentuum rationem attendisse; quam ut observarent, operæ pretium fuit, notarum numero & valore, eorum varietatem distinxisse.

Verū quis non videat quam iniqua sit hæc responsio; aut enim de accentu grammatico aut de psalmodico volunt intelligi, quorum neuter in plāno cantu observari potest, quòd accentus grammaticus solitus sit adhiberi ad elevandam aut deprimendam vocem in syllabarum pronunciatione, non ad protrahendam vel contrahendam; at illa vocis inflexio grammatica, cùm sit irrationalis, harmonica esse nequit; nec enim inter loquentem & cantantem foret ullā distinctio. Accentus quoque psalmodicus in eodem cantu plāno non potest observari: cùm, ut supra diximus, deberet esse ratio inæqualitatis incommensurabilis, seu notarum aliæ deberent esse longæ, aliæ breves irrationales; & sic cantus planus non esset amplius planus & æqualis, sed inæqualis & psalmodicus; tuncque Philosophis indigna specierum confusio invehetur in Musicam.

Tertiò, si inter cœlorum motus harmoniam observāunt Astronomi, quæso, dato singulis planetis inæquali motu, Rhythmicæ convenienti, cuinam Musicæ parti primi Mobilis motus, æqualiter incedens, respondebit, nisi illi quæ Isometra dici potest, quamque vulgò planum cantum solent nuncupare? Nec est quòd forsan urgeas, ingratum auribus futurum, si hæc syllabarum quantitas in cantu negligatur; cùm hæc gratia, quam hodie experimur, non nisi ex usu manaverit, & solo fulciatur habitu; eo planè modo, quo novitas vestium statim oculis non arridet, quibus tamen assuetis, quæ primò displicebant, postea familiares evadunt. Imò,

vulgaris illa nostra Latinæ linguæ pronunciandæ ratio nullatenus est grammatica, sed verè & merè psalmodica, ut satis ex dictis colligi potest, & ex hoc sancti Augustini testimonio lib. 2. de Musica cap. 1. Cùm dixeris, inquit, Cano, vel in versu posueris, ita ut vel tu pronuncians producas hujus verbi syllabam primam, vel in versu eo loco ponas, ubi esse productam oportebat, reprehendet grammaticus, nihil aliud afferens, cur hanc corripi oporteat, nisi quod hi qui ante nos fuerunt, & quorum libri extant, tractanturque a grammaticis, eà correptâ non productâ usi fuerint; quare hic, quidquid valeat, auctoritas valet. At verò Musica ratio, ad quam dimensio ipsa vocum rationalis & numerositas pertinet, non curat, nisi ut corripiatur vel producatur syllaba, qua illo vel illo loco est, secundum rationem mensurarum suarum. Nam si eo loco ubi duas longas syllabas poni decet, hoc verbum Cano posueris, & primam, qua brevis est, pronunciatione longam feceris, nihil Musica omnino succenseret; tempora enim vocum ea pervenere ad aures, qua illi numero debita fuerunt. Huc usque Sancti Doctoris verba; ex quibus duo concludere licet, unum, rectum, & antiquum pronunciandi modum id exigere, ut etiam in disyllabis prima brevis efferatur, si brevis est; unde ergo nunc producitur, nisi quia jubet psalmodia, protrahendam esse quantum-libet syllabam accentu notatam, qualis prima est in omnibus penè disyllabis; alterum, in Musicâ syllabarum quantitatem semper licite negligi potuisse, ut potius numerorum ratio servaretur.

F I N I S.